

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MORTIS SIGNIS,

QVAM
 CONSENSV
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
 IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO
**DN. D. HERMANNI PAVLI
 JVCHII,**

SACRI PALATII CÆSAREI COMITIS, FACVLT. MED. SENIORIS, PATHOL.
 ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARII,
 SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARII
 AVLICI ET ARCHIATRI, NEC NON ACAD. CÆSAR. NAT. CVRIOIS.
 COLLEGÆ,

DN. PROMOTORIS ET PATRONI SVI OMNI OBSERVANTIAE
 CULTV PROSEQVENDI,

PRO GRADV DOCTORIS
 SVM MISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRI-
 VILEGIIS LEGITIME IMPETRANDIS,

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVE MITTIT
 AVCTOR

JOHANNES GOTTLIEB SCHNUPF,
 VRATISLAVIA-SILESIUS.

DIE XIX. MAJ I M DCC XLV.
 IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS.

ER FORDIÆ,
 Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

DESCRIPTIO LIBRARII VITIS VINCICIA
MORTIS AGENIS
OVA
CONSERVA
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN VITIS ET PERENNIS HIRUNA
ANNUA VITIS
DN. D. HERMANNI PAVLI
JACCHI
PRO GRADA DOCTORIS
SUMMAE IN VITIS MEDICA HONORIBUS ET PRA-
VITATIBUS HONORIBUS IMPERTRUNDIS
ADIDIS PROBATIONIBUS SAVIENS SEMINAT
ADDOCTOR
JOHANNES GOTTLIEB SCHNABE
LUDWIG AVIV-BEROL.



DISSERTATIONIS
DE MORTIS SIGNIS

S. I.



Mortis notio eum designat corporis animalis statum, qui ipsam vitæ involvit privationem, hoc est: quo omni motu intrinseco & externo locali, sensuum potentia & exercitio, nutritione quoque irreparabiliter destitutum, corruptio- ni proximum est, vel actu jam in ea constitutum putredine dissolvitur.

S. II.

Mortis nomen à voce *morsus*, cuius primitivum est verbum *mordeo* derivatur, ratione denominationis à feris vel ravidis animalibus desumpta, quæ morsu non laedunt solum, sed necant, quoque: è quibus lupi, leones, ursi, tigrides, crocodili & in furorem acti canes, notissima sunt, quæ alia illis occurrentia animalia violenter adgrediuntur, mordent & ad mortem usque vellaccrant, vel morsu virus suum communicant, quod dein deleteriam in illis exerit potestatem.

A 2

S. III.

S. III.

Signum à significando dicitur, quia aliquid significat. Significare vero in Medicina est, signo edito ostendere, & ostensio monere de advertendo ad id, cuius est signum, sic enim intellectus signa sequutus, invenit & adprehendit quod querebat signum; ignoti enim notitiam, ex eo quod notum est, adsequimur.

S. IV.

Mortis igitur signa ejusmodi notæ in hominum corporibus sensibus obvia sunt, quæ de morte vel propius, vel remotius imminent, vel jam tum consummata nos certiores reddunt. Signum enim æque relationem habet ad signatum, ac effectus ad causam. Quatenus vero mortem vel futuram & imminentem, vel jam perfectam nobis patefaciunt, signa mortis erunt vel diagnostica, vel prognostica.

S. V.

Prognostica vero mortis signa ejusmodi sunt accidentia corporis humani, in sensu manifeste incurrentia, quæ vel remotius, vel propius futuram & imminentem mortem significant, & ab actionibus, excretis & retentis ac qualitatibus externis à naturali & laudabili conditione notabiliter mutatis desumuntur.

S. VI.

Medicus vero tam officii ratione, quam ad comparandam sibi fiduciam & existimationem, sœpe non prævidere solum, sed prædicere quoque tenetur futuram mortem: siquidem impossibile est, ut omnes ægroti sanitatem assequantur, sed quidam confessim, vix advocato Medico, partim vero unum vel paucos dies, partim diutius vitam adhuc trahentes moriuntur, de quibus omnibus tum ægroti ipsi, tum qui ad ægrotorum familiam pertinent, aut sanguine conjuncti sunt, ut certiores fiant, Medicum sollicitant.

S. VII.

Remotiorum adhuc, lente tamen adventantem mortem indicant: vigoris consueti notabile, & præter ætatis & aliarum indi-

28 10 28

dividui circumstantiarum rationem paulatinum decrementum; sensus sensim hebetiores redditi, facultatum animæ exercitium paulatim deficiens, spiritus difficilior tractio, imo illius subinde, dum gressus solito more faciunt, defectio, ita ut ad aliquot quandoque momenta, ad illum resumendum, gressus intermittere cogantur: pulsus quoctoque intermittens & inæqualis, vel solito debilior, qualis in senibus, vel chronicis affectis morbis, saepè uno vel altero, antequam vita defungantur, anno notavimus. Adpetitus diminutus, aut maximam partem abolitus, quandoque contra ordinarius, vel præter modum auctus, cum sensibili tamen corporis marcescentia & virium lapsu conjunctus; alvus magis, quam pro consuetudine & necessitate, fluida, neque adæquatis remedii coercibilis, vel quodammodo repressa, intra breve temporis spatium tamen ad priorem frequentiam rediens: vomitus matutini quotidie cum magno nisu repetentes, potatoribus maxime familiares & nullis remedii cedentes. Circa urinæ emissionem vel excessus, vel defectus, aut molesta difficultas, satis scilicet noti illi adfectus, diabetes, dysuria, stranguria & ischuria, vel continuo adfligentes, vel crebrius recurrentes: Tussis crebra, per continuos subinde aliquot annos molesta, cum vel sine materie mucide larga excretione, qualis in primis senescentibus, vel in senectute proiecta constitutis familiaris esse solet, si in primis paulatina corporis extenuatio conjungitur. Hæmoptyses crebrius recurrentes, quibus magna uno impetu coccinei & spumidi sanguinis quantitas excernuntur, quales *Blutstürze* nostræ idiomate audiunt, consequente tussi sicca & clangosa, cum extenuatione corporis & languore consequente: sputum fetidum, lividum & grumoso sanguine atro distinctum: prior phthisis saepè anteire, subinde vero comitari solet; posterius autem illam etiam, priusquam ad extrema perveniat, saepè comitatur. Nimirè porro omnes, subinde remittentes, nihil vero, vel parum admodum intermitentes sanguinis profusiones, viam ad lentam sternunt mortem. De excecente & per plures menses fere continuo fluxu hemorrhoida-

dali, statum cachecticum inferente, constat, quod mortem præcurrat, adeoque ejus adventum lentum, tamen, indicet, si maxime notabilis adveniat virium prostratio. Uterinæ hæmorrhagiae continuæ, vel fere continuæ, quanquam quandoque admodum modicæ, fœminis non raro circa quinquagesimum annum vel hunc jam transgressis contingentes, mali ominis sunt, siquidem vires sensim exhauriendo & statum cachecticum inducendo, per unum vel ultra annos miseras diseruant, quibus proinde lethalem eventum diu, antequam illum experiantur, prædicere possumus. Sidores nocturnos & habituales, modum licet non servantes, multi aliquamdiu impune ferunt; tandem tamen lento calori associati, vires & succos laudabiles consumentes, mortis eminus adventantis signum præbent, quamvis adhuc orthostadii maneant & modice adhuc valente ciborum appetitu, corpus quodammodo reficiant. Insolitus faciei pallor & ejus præter rationem in rugas contractio, nullo cæteroquin morbo conspicuo, malam nihilominus hominis conditionem & statum valetudinarium, tandem mortem adducentem, prænuntiat. Roseus faciei color consuetus, & gutta rosacea, dispares; genarum & labiorum purpura cum pallore & livido colore mutata, neque inde post aliiquid tempus ad naturalem iterum statum redditus, œconomiam naturæ plane subversam & pessimam viscerum præcipuorum, vel vitalium, vel naturalium conditionem, hincque mortem tandem venturam præfagiunt. Vultus porro intumescentia diurna, cum ejusdem pallore, fulvo vel livido colore, album oculorum itidem fulvo colore tinctum, pedes oedemate simul affecti, hepatis & aliorum infimi ventris viscerum, pancreatis imprimis & mesenterii indurationes, indeque imminentes, vel jam præsentes morbos chronicos, neque naturæ, neque artis opera sanabiles significant. Ulcera antiqua & ampla, quando absque evidente causa angustiora fieri & minus ichoris fundere incipiunt, vel ubi pus album, alias bona notæ, in illis gignitur, in senibus & subiectis valetudinariis, mortem ne advertentibus quidem adpropinquare, indicant.

Spi-

Spina dorsi in senibus in arcum flexa , prono, vel quod pejus est
nutante capite, à magis in dies decrecente tono muscularum
& nervorum, harum partium motui & rectitudini servandæ
destinorum, fluidi nervei, vel paucitatem, vel vitiosam labem
significat, unde tandem universalis languor & mors certo expe-
ctanda. Scapularum in phthisicis, vel incipiente solum hoc
morbo, prominentia, & furæ marcidæ, fatalem hujus morbi,
quamvis nondum inveterati, vel confirmati minantur eventum.
Pedum & crurum tumor chronicus subito se subtrahens, vel
talis inopinato cum anorexia & plumbeo, vel lurido faciei colo-
re accedens, vitam haud diu ultra duraturam monent. Podagra,
arthritis, rheumatismo inveterato & habituali affecti, ubi
dolores, qui horum affectuum comites sunt, non solito more
sentiunt, sed ab illis immunes degunt, vel a talibus accidenti-
bus mox iterum se liberatos experiuntur, mortem metuere de-
bent, quæ, nisi revocentur dicti morbi, certo citius, vel serius
consequitur. Ultimo silentio præterire non licet, modo seniores,
modo juniores, notabili ante eventum mortis suæ temporis spa-
tio, mortis suæ appropinquationem præfigire; frequentius
quam solebant, mortis mentionem facere, imo, multis magis
seriis, taciturnis, solitariis, profundis pensationibus, & rerum
sibi alias cariorum aliquo sive neglectu, sive interdum plane
fastidio corripi. *STAHLIUS Diff. de mortis Theoria Th. VIII.*

§. VIII.

Haec præcipua sunt mortis eminus conspicuæ signa pro-
gnostica, quorum ab aliis in medica praxi versatis & nobis ipsis
observatorum subiit recordatio. Adgredimur itaque nunc alte-
ram signorum mortis recensionis telam, eorum nimurum, quæ
propius imminentem mortem testantur. Talia vero sunt: con-
stans ægri supinus decubitus, ejusque contracta genua; pos-
itus corporis inversus, ut caput infimo, pedes supremo loco siti
videantur; brachia & crura nuda ac inæqualiter dispersa, caue
calore destituta. Ore hiante jacere & assidue dormire, neque
post expergefactionem somni conscient esse & omnium obliuisci:

præ-

præter morem dentibus stridere, quod infantibus magis, quam
adultis frequens est: ulcus, quod vel olim, vel in morbo recenter
natum est, siccum, & aut pallidum, aut lividum factum est. Car-
pi manuum porro tactu frigidi, & dum arteria in carpo premitur,
tendinum subfultus & tremulatio; unguis digitique pallidi: fri-
gidus spiritus, & si quis in veste & stragulis floccos extrahit, sim-
brias diducit, vel in vicino pariete fletucas carpit. Dolores in
principio morbi acuti, in extremis in primis partibus & spina dor-
si, ad viscera translati, vel subito conquiscentes, maxime si alia
prava signa quoque conspirant. Subito stranguli, vel deglu-
titionis facultate destituti, absque vel in fauces, vel collo externo
tumore conspicuo: magna virium dejectio cum pulsus debilitate,
& febre non quiescente extus frigere, intus vero ura & intensa ur-
geri siti. Deliria quoque, summa anxietas, anhela & alta respira-
tio, cum inquietudine & crebris jeftigationibus: nervorum di-
stensiones cum sudoribus & extremis frigidis, cuiusmodi sym-
ptomata quoque experiuntur, qui draſticis purgantibus & eme-
ticis tentati fuerunt. Acuti morbi gravidis quoque & puerperis
funesti esse obſervantur, si in primis illis abortus, his vero lochi-
orum accidunt suppressiones. Post somnum quoque delirii &
dolorum augmentum: materiae atræ vel vomitu, vel per al-
vum rejectio, morbo licet adhuc recente; multo magis vero de-
jectiones tales morbo adultiore facto, fractis viribus & corpore
extenuato. Animi defectiones quovis morbi tempore, etiam
in acutorum principiis fatalem prænunciant eventum. Ejus-
dem malæ indolis sunt convulsivi motus, si circa principia ægros
vehementius & repetitis vicibus corripunt, si quidem plus semel
talibus infantes, circa variolarum & morbillorum eruptionem, &
sub ipso eruptionis actu iisdem jugulari vidimus. Animi quo-
que pathemata peculia ria, variis modis se exerentia, quorum
præcipua sunt: nuda & pura animi de vita sua despōsio, etiam
nulli comparenti timori conjuncta: ut prædicant, se hunc decu-
bitum non evasuros: de re familiari & ipso funere suo tempesti-
ve disponant: in aliis tacita quædam rerum suarum oblivio at-
que

29 30 31

que neglectus: frequentia , imo quasi continua somnia cum mortuis, cum spiritibus intercedentis conversationis. Vid. STAHLU *Diss. de mortis theoria Tb. VIII.* Phantasia errans circa locum habitationis vel decubitus, adeo firmiter animo insidens, ut neque ullis rationum momentis se inde dimoveri sinant ægri, sed continuo conquerantur, quod ita inviti in præsenti loco detineantur quasi vinculis adstricti; unde sæpe impense adstantes de restituenda sibi libertate rogitant, imo omnibus intensis nervis è lecto profiliare conantur, vel actu ipso cum impetu profilunt, furiosis manibus eos qui resistunt impetentes. De necessario abitu perturbidæ mentis cogitationes continuæ, quas etiam multoties verbis exprimunt, stragula simul abjicientes, quasi actu ipso abituri: *fort, fort, ich mus fort, lasset mich gehen, vel: ich will heim.* Ipsius quoque diei vel horæ mortis prædictio , quam, quod valdopere mirandum, ipse dein eventus sæpe veram fuisse comprobat. Intensus modo calor, paulo post frigori iterum locum cedens, morbo jam adulto & in statum evecto. Respiratio difficilis, crebra, parva, sublimis & conspicua, stertorosa, convulsiva, & exspiratio frigida. Pulsus languidus, parvus, concitatus, inæqualis, intermittens & intercurrens. Totum corpus grave, mortiferum, frigidum, quod adstantes exprimunt, *der Kranke ist schwier wie Erde.* Refrigeratio pedum & crurum, cum fatiscente eorum sensu. Subita partium mollium colliquatio & rugositas. Paralytodes partium remissiones atque torpores, unde fæcum alvi, urinæ, lacrymarum involuntarius effluxus, quæ in morti jam vicinis infantibus & senibus frequentius, in mediae & florentis ætatis subjectis rarius occurunt. Summus in febribus æstus & fervor siccus, cum maxima virium prostratione, pulsu admodum frequente, sed parvo conjunctus, circa diem VI, IX, XI & XIV. internarum in visceribus inflammationum profundiorum & gangrænarum certum præbet signum, quas fatalis hinc exitus presso pede consequitur, cuiusmodi inflammations, imo non raro sphacelationes, in defunctorum corporibus reperimus.

B

Fe.

Febribus acutis, malignis, exanthematicis correpti, morte propius adventante, ad mentis & corporis quietem redeunt, supini jacent, & æstu intensiore ad tepiditatem redacti, tepidos quoque profundunt sudores admodum largos, sed nihil proficienes, potius colliquantes & exiguae virium reliquias penitus exhaurientes, qui imperitis sape imponunt ut ab illis pro criticis habeantur. Accedunt his, ob restagnationes humorum intra *εγκρανθον*, non raro omnium motuum abolitiones apoplecticas, modo pluribus persistentes horis, modo brevi vitam finientes. Exanthemata variolacea subito subsidentia, & illorum ulcuscula saniosa resiccari visa; purpuracea vero & ethymata malis cum ægri rebus retrocedentia, mortem ut plurimum annunciant, cuius certa quoque semper expectatio est, quando maculae vel lividae, vel nigrae, aut alias discolores, præcipue latiores per cutim sparsæ visuntur, quas propterea *Todtenstelle* appellant. Ægri morbi vehementiam non sentientes & omnium sibi necessarium rerum obliviosi, neque sub vehementi æstu sitim patiuntur, neque potu cum restinguere desiderant; contra quandoque de hira mente cibum adpetunt & avide præter morem & morbi genium eundem magis devorant, quam placide vel decorè sumunt, unde subinde tales intempestivæ commotiones circa ventriculum & continua intestina excitantur, ut lethalis exitus hinc cum præcipitania quadam consequatur. In facie peculiares notie plures conjunctæ, lethi certi nunci, quas *HIPPONCRATES Lib. prænot.* ita descripsit: *Nasus acutus, oculi concavi, collapsa tempora, aures frigide, & contractæ inimisque suis fibris inverse, cutis circa frontem dura, intenta & rufescata, & totius faciei color ex viridi palleiens, aut etiam niger, aut lividus, aut plumbeus,* quibus adparentibus mortem in propinquo esse affirmat, nisi forte æger vigiliis, inedia, aut alvo admodum liquida, talem faciem, quam communiter Hippocraticam appellant, contraxerit. Æque inter mortis signa antiquissimus parens Medicinae refert: si corrugetur palpebra, aut livecat, aut pallescat, itemque labrum cum alio ali-

□ □ (□)

xx

aliquo signo: labra quoque resoluta, pendentia, frigida & exal-
bida. Praeter hæc agonizantes malas & labia dormientium
instar inflant & ore hiante respirant; vel somno destituuntur,
vel soporoso & modum excedente ac turbulento detinentur.
Accedunt tandem his convulsiones, omnium sensuum motuum-
que externorum abolitio, nulla alia ultra actione observabili,
præterquam stertorosa & clata respiratione, & cordis pulsu ma-
gis languescente, donec tandem & hi simul extinguantur &
vitæ cum morte compleatur permutatio.

§. IX.

In subitanis vero mortibus res paulo aliter geruntur, uti
ejusmodi exempla recentia adhuc memoriae inhærent. Scilicet:
novimus talia, ubi inter loquendum & saltandum, vel peracta de-
mum saltatione, in terram præcipites facti, eo ipso momento ex-
tincti fuerunt, motibus vitalibus & animalibus subito abolitis.
Contingunt talia in apoplexiis, syncope, per paralyticas & he-
miplegicas resolutiones & ubi vel organa vitalia, vel ampliora
vasa sanguifera profundas & latae patiuntur lœsiones. Sic
omnes modum excedentes & incoercibiles haemorrhagiae ani-
mi deliquia pariunt, quibus tandem extinguntur illis affecti.
Recentissimum memoriae succurrit exemplum hominis, qui, ob
immodicam sanguinis missionem syncopen passus, altero post
ut portio reliqua motibus vitalibus sustentandis impar esset, si-
quidem nec fluida absque organorum energia, neque ista abs-
que illis vitales actus perennare valent, sed utrumque actio-
ne & reactione alterna, quæ motu fit, vita constituitur, unde Bern-
hardus CONNOR in Evangel. Med. vitam definit, quod sit invi-
luntarius solidarum & fluidarum partium motus, hanc subne-
ctens explicationem: solidæ partes à fluidis, seu à sanguine &
nerveo fluido moventur; sanguis vicissim & spiritus animales à
cordis aliorumque organorum impulsu in motum carent vita-
lem, qui motus turbatus, auctus nempe nimis vel diminutus,

B 2

mer-

morbis vocatur; suppressus autem penitus, *Mors* rite nuncupatur. Nemo itaque ex iis, quæ de mortis vel lente accendentis, vel proxime imminentis signis hactenus differuiimus, eam nobis affingat sententiam, ac si mortem semper talia anteire, inferre voluissemus, siquidem in mortibus subitaneis & violentis, iis etiam nonnunquam, quæ è gravioribus animi affectibus fiunt, nihil horum observamus, sed homines, desubito vitalibus motibus quacunque de causa in totum cessantibus, exanimes concidunt, ad vitam nunquam iterum revocandi.

§. X.

Nihil nunc amplius restat, quam ut paucis quoque mortis jam tum factæ & consummatæ certa & indivulgæ recenseamus criteria, quod tamen quibusdam superfluum videri posset, qui putant notas mortis characteristicas adeo omnibus cognitas, ut de illis nunquam à Medicis speciale requiratur judicium, neque proinde de iis verba facere opus sit: occurrere tamen possunt eas, ubi an quis vere mortuus sit, ambiguitur, & propterea omnino exactius scrutinium instituere tenemur, an quis vere & actu mortuus sit, an vero solum talis esse appareat. Qui hyeme intensiore gelu ita obrigerunt, ut omnis sensibilis motus extinctus videatur, non semper verè mortui sunt, sed adhuc debilem intas alunt motum, in sensu allorum non incurvantem, quorum vita, blando calore & frictu continuato tempore instituto, iterum emicat, cuiusmodi exempla Anno 1740. per publicas relationes, accepimus. Qui ab alto præcipites cadunt, fere semper adeo animo linquuntur ut neque respiratio, neque pulsus in illis percipi queat, in quo statu quandoque per aliquot horas detinentur, nihilominus tamen adhibitis adæquatissimis mediis isti actus redintegrantur, nisi profundior nobiliorum partium laesio obstat. Ante aliquot annos juvenis, à Spiritu frumenti haustu temulentus, è scala præceps in pavimentum lateribus coctis stratum labebatur, inde statim pro mortuo

tuo

tuo sublatus, domum deportabatur: neque respiratio, neque pulsus in eo erant perceptibles, naribus admoti Spiritus volatiles nihil efficiebant, à frictionibus non commovebatur & fomenta omnia irrita erant, pulsus omnino deficiebant & extrema omnia frigebant. Cum vero his non obstantibus prædictorum usui pertinaciter Medicus insisteret, tandem quatuor fere horis elapsis, cum ori vi aperto cochlear vini calidi aromatisati injiceretur, animus ei redibat. Et sic plures occurrere possunt casus, ubi exactius, quam vulgo fieri solet, judicium & scrutinium requiritur, ut vera mors ab apparenter tali recte distinguantur.

S. XI.

Primo itaque & communiter mortem consummatam omnium motuum in corpore constans cessatio, in qua formalitas ejus constituitur, certo probat. Secundo, in vultu & omnibus alius partibus ejusmodi albidus pallor, fulvus aut lividus color, quallem in viventibus nunquam conspicimus. Tertio frigiditas universi corporis, cum articulorum præcipue inflexibilitate conjuncta. Quarto ungues digitorum pallidi vel lividi. Quinto, omnium sensuum plena privatio. Sexto oculi flaccidi & obscurati, ut ipsa pupilla, imo omnis supra iridem per corneam tunicam conspicuus humor aqueus, velut albidus & subturbidus adpareat. Septimo proximox mortuis astimandi, qui sub languidioribus convulsivis motibus, quales antea non passi sunt, animam exhalarunt, etiamsi membra adhuc flaccida observentur, postea sensim demum obrigescentia. Rarius quoque fit, ut infantibus ob dentitionem difficilem, vel imminentem aliquem acutum morbum, convulsivi motus vehementes & fere continuo universum corpus misere quatientes, contingent, quibus biduo, vel ad summum triduo discruciati, expectatione citius exspirant, quem mors itidem certa & vera est, & flaciditas tunc succedens, sensim demum cum rigiditate plurimis cadaveribus usitata permutatur. Octavo strangulatorum mortem spuma ex ore producens

Diens probat, & in suffocatis lingua inter dentes exerta mortem certissime significat.

§. XII.

Sicut autem, quamdiu vita fruimur, motuum proportionatorum perennitate corpora nostra a putrefactiva mortali corruptione præservantur, quæ alias ratione mixtionis suæ ad hanc nimium prona sunt: ita contra, illis in totum cessantibus, nisi intensum obstet gelu, statim primo in fluidis partibus illarum mixtionem dissolvens excitatur intrinsecus motus, quem fermentationem putredinosam dicunt, qua mediante, & libero aëris tepidi vel calidi accessu adjuvante, omnium mobilissimæ particulæ sulphureæ, à reliquarum constitutivarum partium vinculis vel involucris liberatae, discessum faciunt, quem abominabili suo, quem spargunt, fetore conspiciue satis probant: Sub hac vero illorum dissolutione etiam salinæ quædam, intrinseco illo motu itidem resolutæ & subtilitatæ, evolant, fixioribus salis particulis, ceteris crassioribus & specificè gravioribus, hinc minus mobilibus, adhuc implicatis. Similis vero corruptio etiam in solidis mollibus partibus humore irroratis accedit, ubi æque, facta particularum antea unitarum disjunctione, sulphureæ & salinæ mobiliores exhalant, minus mobilibus firmius coherentibus & crassioribus post se relictis. Terreæ vero & aqueæ arctius quam antea complicate, sub viscido-mucida comparent forma, quam aliquamdiu servant, donec tandem successe, tepido concurrente aëre, aquæ particulae in vaporem resolutæ, vel a porosa vicina terra absorptæ, à terreis omnium immobilissimis quoque divertium faciant, illis dein solis sub terrea sicca pulverulenta ut plurimum forma residuis, salinis quibusdam in vaporem non fatiscentibus una interpositis. Talis vero omnibus animantium cadaveribus communis mixtionis destructio, sicuti certissimus mortis effectus est, ita tamen illa ipsa ab aliis magis particularibus corpori adhuc vivo contingentibus corruptionum speciebus, quales v. g. in cancro exulcerato, lue venerea, phthisi, sphacel-


celo, conspicimus, probe distinguenda est, quamdiu in primis illa non tam totum corpus, quam potius partem aliquam terminis suis circumscriptam occupat, quippe quæ in se & absolute non mortifera est, sed quandoque, reliquo salvo corpore, apta medicatione removeri potest, ita vero non mortem consequitur ut effectus proprius, sed illam antecedit, causa potius in quibusdam casibus rationem habens: cum è contra prior illa universalis mixtionis corruptio, sit vera, specialissima, sive, ut loquuntur, formalis ratio atque circumstantia infallibilis mortis.

Vid. b. STAHLIUS, *Diss. supra cit.* p. 8.

§. XIII.

Hæc sunt, quæ pro temporis angustia de signis mortis, è rationis & experientiæ fontibus hausta, recensere & exponere nobis licuit. Si vero aliqua illorum prætermilimus, à benevolo Lectore nos veniam impetraturos, certo confidimus, cum illum minime lateat, omnia nostra opera, à sensibus & intellectu de-
promta, omni licet adhibito homini possibili ingenio,
esse imperfecta.

F I N I S.



celi, contibutione, dicoe dignitatem, sive quantum quod
 sit non puto ratione. quibus enim potius beneficiis
 multitudinis continetur, hoc est quod dubio de his in eis sepe
 sententiam habemus, sed hoc quod uniuscuiuslibet in ista ratione
 sententia significare voleamus, non potius de beneficiis
 quae ex parte regis sunt, sed de aliis quae ex parte
 deputatus regis sunt, ut etiam patet; cum eorum prius illi
 deputatus regis sunt, etiam de aliis, quae ex parte
 duorum, iurantur, ratiōne aliorum concordat, ut etiam
 et veluti ad accessum, dicitur. **III.**
VII.


Hoc praecepit dominus papa, ut etiam regis
 sive ex parte regis, etiam ex parte beneficii
 eius, placito, non nullum beneficium, etiam
 deputatus regis, etiam de aliis, quae ex parte
 duorum, iurantur, etiam de aliis, quae ex parte
 regis sunt, etiam de aliis, quae ex parte
 deputatus regis sunt, ut etiam patet, et
 hoc est quod dubio de his in eis sepe

HINIS.



monachis
 bus con
 fidit





01 A 6510

ULB Halle

002 929 198

3



vol 18

D
S
1



28.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MORTIS SIGNIS,
QVAM
CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,
SVB PRÆSIDIO
**DN. D. HERMANNI PAVLI
JVCHII,**
SACRI PALATII CÆSAREI COMITIS, FACVLT. MED. SENIORIS, PATHOL.
ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORIS PRIMARII,
SERENISS. SAXON. DVC. VINARIENSIS ET GOTHANI CONSILIARII
AVLICI ET ARCHIATRI, NEC NON ACAD. CÆSAR. NAT. CYRIOS.
COLLEGÆ,
DN. PROMOTORIS ET PATRONI SVI OMNI OBSERVANTIAE
CVLTV PROSECVENDI,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRI-
VILEGIIS LEGITIME IMPETRANDIS,
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR
JOHANNES GOTTLIEB SCHNVPF,
VRATISLAVIA-SILESIUS.

DIE XIX. M A J I M DCC XLV.
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS.

ER FORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.